

GERARDVS DAVENTRIENSIS.



Erardus magnus Dauentriensis, Traiectensis diocesis, in scripturis sacris atq; iure canonicō egregie doctus fuit. erat is ingenio subtilis, & sermone scholasticus, qui suis disputationibus alios facile superabat. Cum autem fortunae bonis mediocriter ornatus esset, omnium primus domū fratum, quos de Communi uita nuncupant, Dauentriæ instituit. scripsit præterea non spernendæ lecti onis opuscula, utpote de contractibus & usuris, de locatione curæ pastoralis, & de regimine monialium, cum multis alijs, quibus se omni bus notum fecit. Accedebat & uitæ integritas, & morum suavitatis, ita ut eius conuersatio per totam Germaniam innotesceret. floruit is anno Christi 1380. Trit.